

20* **Rubricae generales Missalis.**

sione : in Cathedralibus, et præcipuis Ecclesiis utuntur Planetis plicatis ante pectus : quam Planetam Diaconus dimittit cum lecturus est Evangelium, eaque tunc super sinistrum humerum super Stolam complicatur : aut ponitur aliud genus Stola latioris in modum Planetæ plicatae ; et facta Communione resumit Planetam, ut prius. Similiter Subdiaconus dimittit eam cum lecturus est Epistolam, quam legit in Alba, et ea finita, oscula lataque Celebrantis manu, Planetam resumit, ut prius.

7. In minoribus autem Ecclesiis, prædictis diebus jejuniorum Alba tantum amicti ministrant : Subdiaconus cum Manipulo, Diaconus etiam cum Stola ab humero sinistro pendente sub dexterum.

**XX. DE PRÆPARATIONE ALTARIS, ET
ORNAMENTORUM EJUS.**

HAltare, in quo sacrosanctum Missa sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, et ab Episcopo, sive ab Abbatे facultatem a Sede Apostolica habente consecratum : vel saltem ara lapidea, similiter ab Episcopo, vel Abbate, ut supra, consecrata, in eo inserta, qua tam ampla sit, ut Hostiam et maiorem partem Calicis capiat. Hoc Altare operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis, ab Episcopo vel alio habente potestatem benedicte, superiori saltem oblonga, quas usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicita. Pallio quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, diei Festo, vel Officio convenientis. Super Altare collocetur Crux in medio, et Candela braria saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latera. Ad Crucis pedem ponatur Tabella Secretarum appellata. In cornu Epistolarē cussinus supponendus Missali : et ab eadem parte Epistolarē paretur cereus, ad elevationem Sacramenti accendendus, parva campanula, ampullæ vitreae vini et aquæ cum pelvicula, et manutergio mundo in fenestella, seu in parva mensa ad hanc preparata. Super Altare nihil omnino ponatur, quod ad Missæ sacrificium, vel ipsius Altaris ornatum non pertineat.

**Ritus serbandus
in celebratione Missæ.**

**I. DE PRÆPARATIONE SACERDOTIS
CELEBRATURI.**



ACERDOS celebraturus Missam, prævia Confessione sacramentali, quando opus est, et saltē Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet : et Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in Sacristia, vel alibi præparatum, ubi paramenta, aliaque ad celebrationem necessaria habentur, accipit Missale, perquirit Missam, perlegit, et signacula ordinat ad ea quæ dicturus est. Postea lavat manus, dicens Orationem inferius positam. Deinde preparat Calicem (qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltē habere cupram argenteam intus inauratam, et simul cum Patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus), super ejus os point purificatorium mundum, et super illud Patenam cum Hostia integra, quam leviter extergit, si opus est, a fragmentis, et eam tegit parva palla linea, tum velo serico : super velo ponit bursam coloris paramentorum, intus habentem dexterò, et sinistram Corporale plicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico, vel auro in medio intextum, sed totum album, et ab Episcopo, vel alio habente facultatem, simul cum palla benedictum.

2. Quibus ita dispositis accedit ad paramenta, quæ non debent esse lacera, aut scissa, sed integræ, et decenter munda, ac pulchra, et ab Episcopo itidem, vel alio facultatem habente, benedicta : ubi calceatus pedibus, et inditus vestibus

22* Ritus celebrandi Missam.

sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat; induit se, si sit Praelatus sacerdotalis, supra rochettum; si sit Praelatus regularis, vel alius Sacerdos sacerdotalis, supra superpellicum, si commode habet possit, alioquin sine eo, supra vestes communes, dicens ad singula singulas Orationes inferius positas.

3. Ac primum accipiens Amictum circa extremitates et chordulas, osculari illud in medio, ubi est Crux, et ponit super caput, et mox declinat ad collum, et eo vestium collaria circumtegens, dicit chordulas sub brachii, et circumdicens per dorsum, ante pectus reducit, et ligat. Tum Alta induit, caput submittens, deinde manicam dexteram brachio imponens. Albam ipsam corpori adaptat, elevat ante, et a lateribus hinc inde, et Cingulo, per ministrum a tergo sibi porrecto, se cingit. Minister elevat Albam super Cingulum circumcirca, ut honeste dependat, et tegat vestes; ac ejus fimbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti, vel circiter super terram æquilater fuat. Sacerdos accipit Manipulum, oscularitur Crucem in medio, et imponit brachio sinistro. Deinde ambabus manibus accipiens Stolam, simili modo deosculatur, et imponit medium ejus collo, ac transversando eam ante pectus in modum Crucis, dicit partem a sinistro humero pendentem, ad dexteram, et partem a dextero humero pendentem, ad sinistram. Sique utramque partem Stolas extremitibus Cinguli hinc inde ipsi Cingulo conjungit.

4. Si Celebrans sit Episcopus, vel Abbas, ut supra, non ducit Stolam ante pectus in modum Crucis, sed sinit hinc inde utrasque extremitates pendere; et antequam accipiat Stolam, accipit parvam Crucem pectoralem, quam osculari, et collo impositam sinit ante pectus chordulis pendere. Manipulum quoque non accipit ante Stolam, nisi in Missis Defunctorum, sed accipit ad Altare, cum in Confessione dicit *Indulgéntiam*, illumque prius osculari.

Postremo Sacerdos accipit Planetam.

5. Si sit Episcopus, vel Abbas, ut supra, habens usum Pontificalium, et solemniter celebret,

Ritus celebrandi Missam.

23*

accipit paramenta, et alia ut in Pontificali et Cæremoniali.

II. DE INGRESSU SACERDOTIS AD ALTARE.

1. **S**acerdos omnibus paramentis induitus, accipit manu sinistra Calicem, ut supra præparatum, quem portat elevatum ante pectus, bursam manu dextera super Calicem tenens, et facta reverentia Crucis, vel imagini illi, quæ in Sacristia erit, capite cooperito accedit ad Altare, ministro cum Missali, et aliis ad celebrandum necessariis (nisi ante fuerint præparata) præcedente, superpellicum induito. Procedit autem oculus demissus, incessu gravi, erecto corpore. Si vero contigerit eum transire ante Altare magus, capite cooperito faciat ad illud reverentiam. Si ante locum Sacraementi, genuflectat. Si ante Altare, ubi celebretur Missa, in qua elevatur, vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat, et detecto capite illud adoret, nec ante surget, quam Celebrans deposuerit Calicem super Corporale.

2. Cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, biretum ministro porrigit, et Altari, seu imagini Crucifixi desuper posite, profunde se inclinat. Si autem in eo sit tabernaculum sanctissimi Sacraementi, genuflectens debitat facit reverentiam. Tum ascendit ad medium Altaris, ubi ad cornu Evangelii sistit Calicem, extrahit Corporale de bursa, quod extendit in medio Altaris, et super illud Calicem velo coopertum collocat, bursam autem ad cornu Evangelii. Si in Altari paramenta accipit, hoc idem facit antequam descendat ab Altari, ut Missam inchoet.

3. Si est consecratus plures Hostias pro Communione facienda, quæ ob quantitatem super Paten manere non possint, locat eas super Corporale ante Calicem, aut in aliquo Calice consecrato vel vase mundo benedicto; ponit eas retro post Calicem, et alia Patena seu palla cooperit.

4. Collocato Calice in Altari, accedit ad cornu Epistolæ, Missale super cussino aperit, reperit Missam, et signacula suis locis accommodat. Deinde rediens ad medium Altaris, facta primum

24* Ritus celebrandi Missam.

Cruci reverentia, vertens se ad cornu Epistolæ, descendit post infimum gradum Altaris ut ibi faciat Confessionem.

5. In Missa solemni Missale apertum super Altare, Calix vero, et alia necessaria præparentur in Credentia coptera linteo, antequam Sacerdos veniat ad Altare. Ipse autem procedit cum Diacono, et Subdiacono, qui capite cooperio simul cum eo tenent manus junctas ante pectus; Acolyti vero ante eos deferunt candelabra cum candelis accensis, quæ deinde collocauntur super Credentia: et cum pervenient ante infimum gradum Altaris, ibi mediis inter Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris, antequam ascendat ad Altare, facit cum ipsis (ut infra) Confessionem.

6. In Missa Pontificali omnia serventur, ut in Pontificali, et Ceremoniali Romano ordinantur: cuius Pontificalis ordinem Episcopus, sive Abbas, ut supra, nunquam prætermittat, quandocumque cum Diacono et Subdiacono paratis celebrat.

III. DE PRINCPIO MISSÆ, ET CONFESSIONE FACIENDA.

1. **S**acerdos cum primum descenderit sub infimum gradum Altaris, convertit se ad ipsum Altare, ubi stans in medio, junctis manibus ante pectus, extensis et junctis pariter digitis, et pollice dextero super sinistrum posito in modum Crucis (quod semper servatur quando junguntur manus, præterquam post Consecrationem), detecto capite, facta prius Crucis, vel Altari profunda reverentia, vel si in ea sit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, facta genuflexione, erectus incipit Missam.

2. Si celebratus sit coram Summo Pontifice, sistit se ante infimum gradum Altaris a cornu Evangelii ante ipsum Pontificem, ubi genuflexus exspectat: accepta benedictione erigit se, et stans aliquantulum versus ad Altare, incipit Missam. Si autem sit coram Cardinali, Legato Sedis Apostolice, aut Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo in eorum residentiis, vel loco jurisdictionis, stans ante infimum gradum a cornu Evangelii ut supra exspectat: dato signo facit

Ritus celebrandi Missam.

25*

profundam reverentiam Praelato, et versus ad Altare incipit Missam.

3. Si autem solemniter celebrat coram Summo Pontifice aut alio ex Praelatis predictis in Ecclesiis eorum jurisdictionis, stans sinistris Praelati, factum cum eo Confessionem, et alia servat, ut in Pontificali, et Ceremoniali Romano ordinatur.

4. Stans igitur Celebrans ante infimum gradum Altaris, ut supra, producens manu dexterâ a fronte ad pectus signum Crucis, dicit intelligibili voce: *In nōmine Patris, et Filiī et Sp̄ritus sancti. Amen.* Et postquam id dixerit, non debet advertere quemcumque in alio Altari celebrantem, etiam si Sacramentum elevet, sed continuatae prosequi Missam suam usque ad finem. Quod item observatur in Missa solemni, et simul etiam a ministris.

5. Cum seipsum signat, semper sinistram ponit infra pectus : in aliis benedictionibus cum est ad Altare, et benedicit oblatâ, vel aliquid aliud, ponit eam super Altare, nisi alter notetur. Seipsum benedicens, verit ad se palmam manus dexterâ, et omnibus illius digitis junctis et extensis, a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dexterum, signum Crucis format. Si vero alios, vel rem aliquam benedicit, parvum digitum verit ei cui benedicit; ac benedicendo, totam manum dexteram extendit, omnibus illius digitis pariter junctis et extensis : quod in omni benedictione observatur.

6. Postquam dixerit: *In nōmine Patris, etc.* ut supra, jungens iterum manus ante pectus, pronuntiat clara voce Antiphonam: *Introitio ad Altare Dei.* Minister retro post eum ad sinistrum genuflexus, et in Missa solemni ministri hinc inde stantes prosequuntur: *Ad Deum qui iettificat iuventutem meam.* Deinde Sacerdos eodem modo stans incipit, et prosequitur cum ministro, vel ministris alternatim Psalmum *Jūdica me Deus,* usque ad finem, cum *Gloria Patri.* Quo finito repetit Antiphonam *Introitio* cum ministris, ut supra. Qui Psalmus nunquam prætermittitur, nisi in Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica Passionis inclusive

usque ad Sabbathum sanctum exclusive : in quibus semel tantum dicta Antiphona *Introibo* cum ministris, ut supra, Sacerdos statim subiungit. *V. Adiutorium nostrum etc.*, ut infra. Cum in fine Psalmi dicit : *Gloria Patri etc.*, caput Crucis inclinat.

7. Repetita Antiphona *Introibo*, dextera manu producens signum Crucis a fronte ad pectus, dicit. *V. Adiutorium nostrum in nomine Domini.* *R. Qui fecit calum et terram.* Deinde Altari se profunde inclinans, iunctis manibus dicit : *Confiteor Deo*, ut in Ordine Missæ : et prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec a ministro, vel ministris dictum sit *Misereatur*. Cum incipitur a ministris *Confiteor*, se erigit. Cum dicit : *mea culpa*, ter pectus dextera manu percutit, sinistra infra pectus posita.

8. Si est coram Pontifice, Cardinale, Legato Sedis Apostolicae, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo, in eorum provincia, civitate, vel diecesi constitutis, ubi dicit : *vobis fratres*, dicat : *tibi pater*; similiter in fine, ubi dicit : *vos fratres*, dicat : *te pater*; quod dicens Summo Pontifici genuflectit, alii Praelatis profunde se inclinat.

9. Cum minister, et qui intersunt (etiam si ibi fuerit Summus Pontifex), respondent *Confiteor*, dicunt : *tibi pater*, et te pater, aliquantulum conversi ad Celebrantem.

10. Facta a circumstantibus Confessione, Celebrans stans respondet : *Misereatur vestri* etc. Deinde producens manu dextera fronte ad pectus signum Crucis, dicit : *Indulgéntiam* etc., et si est Episcopus, vel Abbas, ut supra, accipit Manipulum, osculando illum in medio. Et stans inclinatus iunctis manibus prosequitur : *Dens tu convérsus*, et quæ sequuntur in Ordine Missæ, clara voce usque ad Orationem *Aufer a nobis* etc., et cum dicit : *Orémus*, extendit et jungit manus.

11. Et tunc si coram Summo Pontifice, aut aliis Praelatis, ut supra, celebret, facta Summo Pontifici genuflexione, alii Praelatis profunda reverentia, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, et ibi incipit secreto : *Aufer a nobis*, ut in Ordine Missæ.

IV. DE INTROITU, KYRIE ELEISON, ET GLORIA IN EXCELSIS.

1. **D**um dicit : *Aufer a nobis* etc., Celebrans iunctis manibus ascendit ad medium Altaris, et ibi inclinatus, manibusque item iunctis super eo positis, ita ut digiti parvi dumtaxat frons tem, seu medium anterioris partis tabulae seu mensa Altaris tangent, residuo manuum inter Altare et se retento, pollice dextero super sinistrum in modum Crucis positio (quæ omnia semper observantur, cum manus iunctæ super Altare ponuntur), secreto dicit : *Orámus te Domine* etc., et cum dicit : *Quorum relíquie hic sunt*, osculatur Altare in medio, manibus extensis æqualiter hinc inde super eo positis : quod semper servatur, quando osculatur Altare : sed post consecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur. In omni etiam deosculatio sive Altaris, sive libri, sive alterius rei, non producunt signum Crucis pollice vel manu super id quod osculandum est.

2. Osculato Altari accedit ad cornu ejus sinistrum, id est Epistolæ : ubi stans versus Altare, et producens a fronte ad pectus signum Crucis, incipit intelligibili voce Introitum Missæ, et prosequitur iunctis manibus. Cum dicit : *Gloria Patri* tenens iunctas manus, caput inclinat versus Crucem. Cum repetit Introitum, non signat se, ut prius, et ea repetito, iunctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris, ubi stans versus illud similiter manibus iunctis, dicit eadem voce ter : *Kyrie élison*, ter : *Christe élison*, et iterum ter : *Kyrie élison*, alternatum cum ministro. Si minister, vel qui intersunt, Celebranti non respondant, ipse solus novies dicit.

3. Diicto ultimo *Kyrie élison*, Sacerdos stans in medio Altaris, et manus extendens, elevansque usque ad humeros (quod in omni manuum elevatione observatur), voce praedicta incipi, si dicendum sit, *Gloria in excelsis*. Cum dicit : *Dea*, iungens manus, caput Crucis inclinat : quo erecto, stans iunctis manibus ante pectus, prosequitur usque ad finem. Cum dicit : *Adorámus te*, *Grátiás agimus tibi*, et *Jesu Christe, Suscípe depre-*

catinuem nostram, et iterum *Iesu Christe*, caput Crucis inclinat. Cum dicit in fine : *Cum sancto Spiritu*, seipsum a fronte ad pectus signat, integrum absolvens : *in gloria Dei Patris. Amen.*

4. In Missa solemni Sacerdos facta Confessione ascendit cum ministris ad medium Altaris : ubi dicto *Oramus te Domine*, et osculato Altari, ponit incensum in thuribulum, ministrante Diacono naviculam, et Thuriferario Thuribulum. Diaconus parum inclinatus versus Celebrantem, dicit : *Benedicte Pater reverende*, et osculari cochlear et manum Celebrantis ante et post. Celebrans ter incensum ponit in thuribulum, dicens interim : *Ab illo benedicaris*, et deposito cochleari producens manu dextera signum Crucis super thus in thuribulo, illud benedicit. Postea Diaconus dimissa navicula, accipit thuribulum, et dat Celebranti, osculata prius catenularum summitate, et manu illius dextera : qui facta Crucis profunda reverentia, eam ter incensat, nihil dicens : et facta iterum Crucis reverentia, incensat Altare, ter dicens thuribulum æquali distantiæ, prout distribuuntur candelabrum, a medio ejus usque ad cornu Epistolæ : ubi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem, bis ducito thuribulo : et conversus ad Altare, elevans manum incensat ejus planitem, seu mensam in parte anteriori, ter ducens thuribulum usque ad medium : ubi facta Crucis reverentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ducitu usque ad cornu Evangelii : et pariter incensata inferiori et superiori parte ipsius cornu Evangelii duplici ductu, adhuc stans ibidem, elevat thuribulum, et ter incensat superiori tabulari partem versus medium Altaris, ut fecit in cornu Epistola : deinde manu aliquantulum demissa, incensat anteriorem ejus partem, seu frontem, ter ducens thuribulum dum procedit a cornu Evangelii usque ad medium Altaris : et facta Crucis reverentia, incensat similiiter triplici ducitu reliquam partem anteriorem usque ad cornu Epistola : ubi redditio thuribulo ipsi Diacono, ab eo ipse solus incensatur.

5. Si vero in Altare fuerint Reliquæ, seu Imagines Sanctorum, incensata Cruce, et facta ei

reverentia, antequam discedat a medio Altaris, primum incensat eas quæ a dexteris sunt, id est a parte Evangelii prope Crucem, bis ducens thuribulum : et iterum facta Crucis reverentia, similiiter incensat bis alias quæ sunt a sinistris, hoc est a parte Epistola : deinde prosequitur incensationem Altaris, ut supra, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiam si in eo essent plures Reliquæ, vel Imagines, seu etiam plura, vel pauciora candelabra.

6. Si in Altari fuerit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, accepto thuribulo antequam incipiat incensationem, genuflectit, quod item facit quotiescumque transit ante medium Altaris.

7. Diaconus et Subdiaconus hinc inde assistunt Celebranti cum incensat; et cum transeunt ante Crucem, semper genuflectunt. Deinde Celebrans, Diacono a dexteris ejus, Subdiacono a dexteris Diacono stantibus in cornu Epistola, legit Introitum, et *Kyrie eleison*. Cum vero intonat Hymnum *Gloria in excelsis Deo*, Diaconus et Subdiaconus, unus post alium, stant a tergo Celebrantis : postea ascendent ad Altare, et hinc inde, Diaconus a dexteris, Subdiaconus a sinistris, cum Celebrante Hymnum submissa voce prosequuntur usque ad finem. Quod etiam servatur, cum dicitur *Credo*; et cum dicitur *Dominus vobiscum*, Oratio, Praefatio, et *Pater noster*, Diaconus et Subdiaconus similiiter stant unus post alterum a tergo Celebrantis.

V. DE ORATIONE.

1. **D**icto Hymno *Gloria in excelsis*, vel, si non sit dicendus, eo omisso, Celebrans osculari Altare in medio, manibus hinc inde super eo, ut supra, extensis : tum illis ante pectus junctis, et demissis ad terram oculis, vertit se a sinistra latera ad dexterum versus populum, hoc est, per eam partem quæ respicit cornu Epistola, et extendens, ac jungens manus ante pectus, ut prius, dicit voce praedita : *Dominus vobiscum*, vel, si sit Episcopus : *Pax vobis*, (quod dicitur tantum hoc loco, quando dicitur est Hymnus *Gloria in excelsis*). R. Et cum spiritu tuo, et

30* **Ritus celebrandi Missam.**

junctis ut prius manibus revertitur per eamdem viam ad librum, ubi eas extendens et jungens ante pectus, caputque Crucis inclinans, dicit : *Orémus*; tum extendit manus ante pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram, et digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat, quod in omni extensione manum ante pectus servatur. Stans autem, ut supra, extensis manibus, dicit Orationem. Cum dicit : *Per Dóminum nostrum*, jungit manus, easque junctas tenet usque ad finem. Si aliter concluditur Oratio : *Qui tecum, vel Quí vivis*, cum dicit : *in unitate*, jungit manus.

2. Cum nominatur nomen JESUS, caput versus Crucem inclinat : quod etiam facit cum nominatur in Epistola. Et similiter ubicumque nominatur nomen beatæ Mariæ vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit commemoratione, item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus Crucem. Si plures Orationes sunt dicendæ, idem in eis, in voce, extensione manuum, et capitulis inclinatione, quod supra dictum est, observatur.

3. Si Altare sit ad Orientem versus populum, Celebrans versa facie ad populum, non vertit humeros ad Altare, cum dicturus est *Dóminus vobiscum, Oráte fratres, Ite Missa est*, vel daturus benedictionem : sed osculato Altari in medio, ibi expansis et junctis manibus, ut supra, salutat populum, et dat benedictionem.

4. In Quatuor Temporibus, vel alias, quando dicendæ sunt plures Orationes cum Prophetiæ, dicto *Kyrie elíson*, in medio Altaris, revertitur ad cornu Epistolæ, ubi stans ante librum extensis et junctis ante pectus manibus, caput Crucis inclinans, dicit : *Orémus. Fletámus génua*, et illico manibus super Altare extensis, ut seipsum ad Altare sustineat, genuflectit, et sine mora surgens, eadem voce ministro respondente : *Leváte*, manibus extensis dicit Orationem ut supra, et in conclusione eas jungit. Dum autem legit Prophetias, tenet manus super librum, vel Altare positas, ut mox dicetur de Epistola.

5. In Missa solemni cum dicitur *Dóminus vobiscum* et Oratio, Diaconus et Subdiaconus stant

Ritus celebrandi Missam. 31*

retro post Celebrantem. *Fletámus génua* dicitur a Diacono, a Subdiacono vero *Leváte*, illo primum genuflectente, hoc primum surgente : Celebrans vero non genuflectit.

VI. DE EPISTOLA, CRADUALI, ET ALIIS USQUE AD OFFERTORIUM.

1. **D**ictis Orationibus, Celebrans positus super librum, vel super Altare manibus, ita ut palmæ librum tangant, vel (ut placuerit) librum tenens, legit Epistolam intelligenter voce, et responderet a ministro : *Deo grátias*, et similiter stans eodem modo, proseguitur Graduale, *Alleluia*, et Tractum, ac Sequentiam, si dicenda sint. Quibus dictis, Sacerdos si privatum celebet, ipse met semi minister portal librum Missalis ad alteram partem Altaris in cornu Evangelii, et dum transit ante medium Altaris, caput Crucis inclinat, et Missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, et non ad parietem, sive ad partem eius contra se directam.

2. Locato Missali in Altari, Celebrans reddit ad medium Altaris, ibique stans junctis manibus ante pectus, levatisque ad Deum oculis, et statim de missis, tum profunde inclinatus, dicit secreto : *Munda cor meum, et Tibe Dómine benedicere. Dóminus sit in corde meo*, ut in Ordinario. Quibus dictis vadit ad librum Missalis, ubi stans versus illum juncit manibus ante pectus, dicit intelligibili voce : *Dóminus vobiscum. R. Et cum spíitu tuo*. Deinde pollice dexteræ manus signo Crucis signat, primo librum super principio Evangelii, quod est lecturæ, postea seipsum in fronte, ore, et pectoræ, dicens : *Sequentia, vel Intitulum sancti Evangélii* etc. *R. Glória tibi Dómine*. Tum juncit iterum manibus ante pectus, stans, ut supra, proseguitur Evangelium usque ad finem. Quo finito, minister stans in cornu Epistola post infimum gradum Altaris, respondet : *Laus tibi Christe*, et Sacerdos elevans parumper librum, osculatur principium Evangelii, dicens : *Per Evangelicā diūla* etc., præterquam in Missis Defunctorum, et nisi celebraret coram Summo Pontifice, Cardinali, et Legato Sedis Apostolicæ, vel

Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo, in eorum residentiis; quo casu defertur cuilibet praedicatorum osculandus liber, et Celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit : *Per Evangelica dicta*. Cum autem nominatur JESUS, caput versus librum inclinat; et eodem modo versus librum genuflectit, cum in Evangelio est genuflectendum.

3. Dicō Evangelio stans in medio Altaris versus Crucem, elevans et extendens manus, incipit (si dicendum sit) *Credo*; cum dicit : *in unum Deum, jungit manus, et caput Crucis inclinat : quo erecto, stans ibidem iunctis ante pectus manibus, ut prius, prosequitur usque ad finem. Cum dicit : *Iesum Christum, caput Crucis inclinat. Cum dicit : Et incarnatus est, usque ad Et homo factus est, inclusive, genuflectit. Cum dicit : simul adoratur, caput Crucis inclinat. Cum dicit : Et vitam ventiri seculi, Amen, producit sibi manu dextera signum Crucis a fronte ad pectus.**

4. In Missa solemini Subdiaconus circa finem ultimae Orationis accipit ambabus manibus librum Epistolarum, deferens illum supra pectus, et facta Altari genuflexione, in medio, vadit ad partem Epistolæ contra Altare, et cantat Epistolam, quam etiam Celebrans interim submissa voce legit, assistente sibi Diacono a dextris, et item Graduale, Tractum etc., usque ad *Munda cor meum*. Epistola cantata, Subdiaconus facit iterum genuflexionem Altari in medio, ac reddit ad Celebrantem, et genuflectens osculatur ejus manum, et ab eo benedicitur, præterquam in Missis Defunctionum.

5. Postea item Subdiaconus accipit Missale Celebrantis, defert ad cornu Evangelii in Altari, et ibi ministrat Celebranti; qui in medio Altaris submissa voce dicit *Munda cor meum* etc., et deinde lepto Evangelio, quod in fine non osculatur, delato etiam per Diaconum libro Evangeliorum ad Altare, imponit incensum in thuribulum. Postea Diaconus genuflexus ante Altare dicit : *Munda cor meum*, et accipiens librum Evangeliorum de Altari, petit benedictionem a Celebrante similiter genuflexus in superiori gradu Altaris; et

osculata illius manu, precedentibus Thuriferario et duobus Acolythis cum candelabris accessis de Credentia sumptis, vadit cum Subdiacono a sinistris ad locum Evangelii contra Altare versus populum, ubi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acolythus tenentes candelabra accessa, dicit : *Dominus vobiscum, iunctis manibus*. Cum dicit : *Sequentia* etc., signat librum in principio Evangelii, frontem, os, et pectus : postea librum incensat, hoc est, in medio, a dextris, et a sinistris, et prosequitur Evangelium iunctis manibus. Interim Celebrans post datam Diacono benedictionem retrahens se ad cornu Epistolæ, ibi stat, iunctis manibus. Et cum Diaconus dicit : *Sequentia sancti Evangelii*, Sacerdos etiam signat se : et cum nominatur JESUS, caput inclinat versus Altare. Finito Evangelio Sacerdos osculatur librum a Subdiacono sibi datum, dicens : *Per Evangelica dicta* etc., et a Diacono ter incensatur. Si sit coram Prelato in sua residentia, liber defertur ad Praelatum, ut supra, et ille incensatur, ut in Ceremoniali. Postea stans in medio Altaris versus ad Crucem, incipit, si dicendum sit, *Credo*, stantibus post eum Diacono et Subdiacono : deinde ad Altare accendentibus, et cum eo prosequenteribus, ut dictum est ad *Glória in excelsis*.

6. Si autem sit prædicandum, Concionator, finito Evangelio, prædictet, et sermone, sive conacione completa, dicitur *Credo*, vel, si non sit dicendum, canetur Offertorum.

7. Cum vero in Symbolo cantatum fuerit : *Et incarnatus est*, Diaconus accepta bursa de Credentia, ambabus manibus eam defert elevatam cum solitis reverentiis ad medium Altaris, in quo explicat Corporale, et revertitur ad Celebrantem. Cum non dicitur *Credo*, Subdiaconus defert bursam simul cum Calice, ut infra dicetur.

8. Si quandoque Celebrans cantet Missam sine Diacono et Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpelliceo induitus, qui in fine non osculatur manu Celebrantis; Evangelium autem cantet ipse Celebrans ad cornu Evangelii, qui et in fine Missæ cantat *Ite Missa*

34* Ritus celebrandi Missam.

est vel Benedicāmus Dōmino, aut Requiēscant in pace, pro temporis diversitate.

VII. DE OFFERTORIO ET ALIIS USQUE AD CANONEM.

1. **D**icto *Symbolo* vel, si non sit dicendum, post Evangelium Celebrans osculatur Altare in medio, et junctis manibus ante pectus, ibidem a manu sinistra ad dexteram (ut dictum est supra) vertit se ad populum, et extendens ac jungens manus dicit: *Dōminus vobiscum*, et junctis manibus revertitur per eadem viam ad medium Altaris, ubi extendens et jungens manus, caput Crucis inclinans, dicit *Orémus*; tum junctis ut prius manibus dicit Offertorium: et omnia quæ usque ad finem Missæ in medio Altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad Altare, nisi ubi alter ordinatur.

2. Dicto Offertorio discoperit Calicem, et ad cornu Epistolæ sistit; et manu dextera amovet parvam pallam desuper Hostiam, accipit Patenam cum Hostia, et ambabus manibus usque ad pectus eam elevat tenens, oculis ad Deum elevatis, et statim demissis, dicit: *Síscipe sancte Pater* etc.

3. Si fuerint aliae Hostiæ non super Patenam, sed super Corporale, vel in alio Calice, seu vase pro Communione populi consecrandæ, Calicem illum seu vas dexteram discoperit, et intentionem suam etiam ad illas offerendas, et consecrandas dirigens, dicit ut supra: *Síscipe* etc. ut in Ordine Missæ. Quo dicto, Patenam ultraque manu tenens, cum ea facit signum Crucis super Corporale, et deponit Hostiam circa medium anterioris partis Corporalis ante se, et Patenam ad manum dexteram aliquantulum subitus Corporale; quam, extero Calice, ut dicetur, cooperit purificatorio. Si autem adsit vas seu Calix cum aliis Hostiis, ipsum cooperit alia Patena, vel palla.

4. Deinde in cornu Epistolæ accipit Calicem, purificatorio extergit, et sinistra tenens illius nudum, accipit ampullam vini de manu ministri (qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum Celebrantis) et ponit vinum in Calicem.

Ritus celebrandi Missam.

35*

Deinde eodem modo tenens Calicem producit signum Crucis super ampullam aquæ, et dicit: *Deus qui humāna substāntiæ, et infundens parum aquæ in Calicem prosecutur: Da nobis per hujus aquæ et vini misteriū* etc. Si vero celebrat pro Defunctis, non facit signum Crucis super aquam, sed imponit absque benedictione, dicens Orationem, ut supra.

5. Imposita aqua in Calice, et finita Oratione prædicta, accipit manu dextera Calicem discooperit; et stans ante medium Altaris, ipsum ambabus manibus elevatum tenens, videlicet cum sinistra pedem, cum dextera autem nodum infra cupam, intentis ad Deum oculis offert, dicens: *Offérimus tibi Dōmine* etc. qua Oratione dicta, facit signum Crucis cum Calice super Corporale, et ipsum in medio post Hostiam collocat, et palla cooperit. Deinde junctis manibus super Altare positis, aliquantulum inclinatus dicit secreto: *In spíitu humilitatis* etc. Postea erexit, elevans oculos, manusque expandens, et statim jungens ante pectus (quod semper facit quando aliquid est benedicitur) dicit: *Veni sanctificator* etc., cum dicit: *et bénedic*, signat manu dextera, communiter super Hostiam et Calicem, sinistra posita super Altare.

6. Tum junctis ante pectus manibus, accedit ad cornu Epistolæ, ubi stans, ministro aquam fundente, lavat manus, id est, extremitates digitorum pollicis et indicis, dicens Psalmum *Lavabo inter innocentes*, cum *Glória Patri* etc., qui Versus *Glória Patri* prætermittitur in Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica de Passione usque ad Sabbatum Sanctum exclusive.

7. Celebrans lotis manibus eas tergit, et illis ante pectus junctis revertitur ad medium Altaris, ubi stans, oculosque ad Deum elevans, et statim demittens, manibus junctis super Altare, aliquantulum inclinatus dicit secreto Orationem: *Síscipe sancta Trinitas* etc. Qua dicta, manibus hinc inde extensis, et super Altare positis, osculatur illud in medio: tum junctis manibus ante pectus, demissisque oculis ad terram, a sinistra manu ad dexteram vertit se ad populum, et versus eum ex-

tendens, et jungens manus, dicit voce aliquantulum elata : *Oráte fratres*, et secreto prosequens : *ut meum ac vestrum sacrificium etc.*, perficit circulum, revertens junctis manibus ante pectus a manu dextera ad medium Altaris. Et responso a ministro vel a circumstantibus : *Suscipiat Dóminus sacrificium de manibus tuis etc.*, (aliquin per se ipsum, dicens : *sacrificium de manibus meis*) ipse Celebrans submissa voce dicit : *Amen*, et manibus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem, stans in medio Altaris versus librum, dicit absolute sine *Orémus*, et sine alia interpositione Orationem, vel *Orationes secretas*. Cum dicit : *Per Dóminum*, jungit manus : cum dicit : *Iesum Christum*, caput inclinat : quod facit in prima Oratione, et in ultima, si plures sint dicenda.

8. Pervento autem in conclusione ultimae Secretæ ad verba illa : *Per omnia secula seculorum exclusive*, Sacerdos stans in medio Altaris, depositis super eo manibus hinc inde extensis, dicit convenienti et intelligibili voce Praefationem. Cum dicit : *Sursum corda*, elevat manus hinc inde extensis usque ad pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram. Cum dicit : *Grátias agánus Dómino*, jungit manus : cum dicit : *Deo nostro*, oculos elevat, et statim Crucis caput inclinat. Responso : *Dignum et justum est*, elevatis, et extensis ut prius manibus, prosequitur Praefationem propriam, vel communem, ut tempus requirit. Cum dicit : *Sanctus*, junctis ante pectus manibus, et inclinatus, voce mediocri prosequitur, ministro interim parvam campanulam pulsante. Cum dicit : *Benedictus qui venit in nōmine Dómini etc.*, erigit se, et signum Crucis sibi ducit a fronte ad pectus.

9. In Missa solemní dicto *Orémus*, Diaconus et Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu Epistola; Diaconus amovet Calicem, si est in Altari, vel, si est in Credentia, ut magis decet, accipit eum de manu Subdiaconi; qui illum cum Patena et Hostia, cooperunt palla et velo a collo sibi pendente, manu sinistra tenens, et alteram manum superponens velo, ne aliquid decidat, de Credentia detulit, comitatus ab Acolytha ampullas vini

et aquæ portante : ipse Diaconus Calicem detegit, et dat Patenam cum Hostia Celebranti osculando ejus manum : Subdiaconus extergit Calicem purificatorio, Diaconus accepta ampulla vini de manu Subdiaconi, imponit vinum in Calice; Subdiaconus interim ampullam aquæ ostendens Celebranti, dicit : *Benedicte Pater reverénde*, qui factò versus eam signo Crucis, dicit Orationem : *Deus qui humánae etc.* Interim Subdiaconus infundit paululum aquæ in Calicem; Diaconus illum Celebrant, et pedem Calicis tangens, seu brachium dexterum Celebrantis sustentans, cum eo dicit *Offérimus tibi Dómine etc.* quem postea positum in Altari ut supra, palla cooperit. Subdiacono deinde stanti in cornu Epistolæ ponit in dextera manu Patenam, quam cooperit extremitate veli ab ejus humero pendens : qui vadit post Celebrantem ante medium Altaris, et facta genuflexione ibi stat, sustinet eam elevatam usque ad finem Orationis Dominicæ, ut dicetur. In Missis autem Defunctorum, et in Feria sexta Paraceseve, Patena non tenetur a Subdiacono.

10. Dicto *Veni sanctificator*, ut supra, Celebrans, ministrante Diacono naviculam, et dicente : *Benedicte Pater reverénde*, ponit incensum in thuribulum, dicens : *Per intercessionem etc.*, ut in Ordine Missæ. Deinde accepto thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Crucis reverentiam, incensat oblatæ, ter ducens thuribulum super Calicem et Hostiam simul in modo Crucis, et ter circum Calicem et Hostiam, scilicet bis a dextera ad sinistram, et semel a sinistra ad dexteram, (Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextera) dispensans verba in qualibet incensatione hoc modo. In prima incensatione : *Incensum istud, in secunda : a te benedictum, in tertia : ascéndat ad te Dómine, in quarta : et descéndat super nos, in quinta, et sexta : misericórdia tua*. Deinde facta reverentia, incensat Crucem et Altare, ut dictum est supra, assistente eodem Diacono, interim dicens : *Dirigatur Dómine oratio mea etc.*, et cum incensatur Crux, Diaconus amovet Calicem ad partem Epistolæ, et incensata Cruce reponit in loco suo. Cum reddit thuribu-

lum Diacono, dicit: Accendat in nobis etc., et incensatur ab eo. Deinde Diaconus incensat Chorum, et postremo Subdiaconum tenentem Patenam: et ipse Diaconus incensatur a Thuriferario, et Thuriferarius postea incensat Acolythus, et populum. Celebrans, postquam incensatus fuerit, lavat manus, ministrantibus Acolythus ampullam aquae cum pelvicala et manutergio.

11. Cum dicatur Praefatio, Diaconus et Subdiaconus stant retro post Celebrantem: et paulo antequam dicatur Sanctus, accedunt ad Altare, ubi cum Celebrante hinc inde dicunt Sanctus, et quæ sequuntur usque ad Canonem. Deinde Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, et assistens, dum dicitur Canon, nisi alius Sacerdos assistat, quia tunc ipse staret ad dexteram aliquantum post Celebrantem. Subdiaconus vero tunc stat post Celebrantem.

VIII. DE CANONE MISSÆ USQUE AD CONSECRATIONEM.

1. **F**inita Praefatione, ut supra, Sacerdos stans ante medium Altaris versus ad illud, aliquantum elevat manus, oculisque elevatis ad Deum, et sine mora devote demissis, ac manibus junctis, et super Altare positis, profunde inclinatus incipit Canonem, secreto dicens: Te igitur etc, ut in ordine Missæ. Cum dicit: uti accepta habeas, et benedicas etc., prius osculari Altare in medio, deinde erigit se, et stat junctis manibus ante pectus. Cum dicit: hec dona, hec mānēra, hec sancta sacrificia, dextera manu signat ter communiter super Hostiam, et Calicem. Deinde extensis manibus ante pectus, prosequitur: in primis que tibi offérimus etc.

2. Ubi dicit: una cum fāmulo tuo Pāpa nostro N., exprimit nomen Papæ: Sede autem vacante verba prædicta omittuntur. Ubi dicitur: et Antistite nostro N., specificatur nomen Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi ordinarii in proprio diecesi, et non alterius Superioris, etiam si Celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi jurisdictione. Si vero Episcopus ordinarius illius loci, in quo Missa celebratur, sit vita fun-

ctus, prædicta verba omittuntur: quæ etiam omittuntur ab iis qui Romæ celebrant. Si Celebrans est Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, omissis prædictis verbis, eorum loco dicit: et me indigo servo tuo. Summus autem Pontifex cum celebrat, omissis verbis: una cum fāmulo tuo Pāpa nostro N. et Antistite nostro N. dicit: una cum me indigo fāmulo tuo, quem gregi tuo præesse volūsti. Et continuant omnes ut sequitur: et omnibus orthodoxis, etc.

3. Cum dicit: Meménto Dómino, elevans et jungens manus usque ad faciem, vel pectus, sic junctis manibus stat paulisper in quiete, demissi aliquantulum capite, faciens commemorationem vivorum Christi fidélium ad suam voluntatem, quorum nomina, si vult, secreto commemoret: non tamen necesse est ea exprimere, sed mente tantum eorum memoriam habeat. Potest etiam Celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi onnes illos tam vivos, quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsum vivorum commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare propositum in Missa.

4. Commemoratione vivorum facta, demissis, et extensis, ut prius, manibus, continuat: Et ómnium circumstantiū, etc. Similiter stans prosequitur: Communicantes. Cum dicit: Jesu Christi, capit Crucis inclinat: in conclusione, quando dicit: Per exāmēm, jungit manus. Cum dicit: Hanc igitur oblationem, expandit manus simul super oblatâ, ita ut palmæ sint apertæ versus ac supra Calicem et Hostiam, quas sic tenet usque ad illa verba: Per Christum Dóminum nostrum. Tunc enim jungit manus, et sic prosequitur: Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus; et cum dicit: bene + dilectam, adscrit + patam, rā + tam, communiter signat ter super Hostiam et Calicem simul: deinde cum dicit: ut nobis Corpus, separatum signat semel super Hostiam tantum: et cum dicit: et Sanguis, semel super Calicem tantum: deinde elevans, et jungens manus ante pectus, prosequitur: fiat dilectissimi Filii